



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cl. Viri Valerii Andreæ Desselii In Academia Lovaniensi
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

Andreas, Valerius

Coloniae, 1697

IV. Ne Prælati vices vel Ecclesias sub annuo censu cedant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62934)

NE Prælati vices suas vel Eccle-
fias sub annuo censu
cedant.

TIT. IV.

Tit. hic pender à superiori, & ejus velu-
ti pars est, quia contrahitur etiam Si-
monia, quando Prælati vices suas, id
est potestatem & jurisdictionem sibi
competentem vel Ecclesias sub certa
aliqua pensione aliis addicunt vel e-
locant.

Cur hoc prohibitum est Prælati ?

QUOD Ecclesiastica jurisdictio &
potestas sit res spiritualis, quæ ut
vendi, ita neque elocari aut aliter cedi
absque simonia non potest. Ita Parochus
neque pro confessionibus audiendis, ne-
que pro sacramentis administrandis al-
teri communicate aut delegare vices
suas potest, ut neque conductitiis Pres-
byteris concedere. Est & hæc prohibitio-
nis ratio, quod hujusmodi res ad grava-
men subditorum & subversionem judi-
ciorum, redundare judicetur, ex eo,
quod concussionis materiam præbere
videatur.

*can. Vi-
dentes 1.
qu. 3.
c. ad no-
stram 21
sup. de
Sim. c. 1.
h. t. Conc
Trid. sess.
25. c. 11.
d. c. 3. b.*

Q 4

Pro. t.

Prohibitio hac an etiam ad fructus Ecclesiarum vel beneficiorum extendenda?

c. ult. h. t. Nequaquam; cum fructus ceteraque
c. ambrosiana obventiones nullam rei spiritualis ra-
tiosa De tionem habeant, ac proinde licite cedi
reb. Eccl. & locari possint. Non quidem ad lon-
cles. non gum tempus; quia separaret talis locatio
alien. quamdam alienationem; sed olim qui-
Ex r. cō. dem ad septennium, hodie ad triennium
Conc. dumtaxat.

Trid. d.
sess. 25. c. De Magistris, & ne aliud exigatur
11. Co- pro licentia do-
var. 2. cendi.
Var. c.
16.

TIT. V.

Hic quoque Tit. velut appendix est Tit.
De Simonia: nam & hi propè ad Si-
monia crimine accedunt, qui aliquid
exigunt pro licentia docendi.

Qui igitur incurrunt hoc crimen?

CANONICI, quos vulgò Scholasticos
vocant, qui scilicet non nisi accepta pec-
cunia, aliquem ad docendum admittunt.
Non est autem hæc verè Simonia,
quia licentia docendi verè non est res
spiritualis.